


## **Dissertatio Ivridica Tertia Ad L. CXCVIII. D. De Verb. Signif. Qvam Annvente Deo**

Dvisbvgi Ad Rhenvm: Typis Io. Sebastiani Stravbii, [1752]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1780858574>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (Ob.)

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.

1. Beselin. de pertinentiis.
2. Crumbiegel. de donatione remuneratoria.
3. Kraus. de amen liturgico.
4. Reinhard. de nimio legum in foro neglectu.
5. Wehrn. de actione Pauliana.
6. Schorch de feudis Marchionum Brandenburg. tamquam Burggraviorum Norimbergens. in Austria, occasione pacis novissimae Teochnenfis.
7. Reinhard de finibus regundis.
8. Schorch de tempore quo apud Romanos infantum expositio nequa licita esse desit ad Tacit. de moribus German. Cap. 19.
9. Schmiedius. de figmento criminis famosi libelli.
10. Seip. de vi legis in praeteritum iusta.
11. Madihn. de coemptionibus quae fiebant sacrorum interrimendorum causa.
12. Volmarus de intestatorum Atheniensium hereditatibus.
13. Madihn. de virtute conventionis qua fundi venditi tributa in venditorem transferuntur. ad l. 11. C. de pactis et. l. 1. C. sine casu.
14. Zoller observationes practicae.
  - a. testamentum conjugum reciprocum ab una parte revocari potest.
  - b. testamentum per procuratorem utique offerri potest.
15. Hofacker de efficacia statutorum in res extra territorium sitas.
16. Heisler de incestu.
17. Döhmer de testamentis mulierum.
18. Carrach de substitutiones directae argumentis in formula dubia.
19. Walch de genuino fonte distinctionis inter foetum animatum et inanimatum in nemesi Carolina art. 133.
20. Gildemeister observationes vari argumenti.
  1. de iurejurando ab eo qui iure retrahendi ahi vult, propter calumniam dando.
  2. de praestatione eorum quae retrahens praestare debet.
  3. an executionem rei iudicatae urgenti opponi possit exceptio litis finitae.
  4. quare prodigis testamenti faciendi potestas negata sit.
  5. de probatione instituta actione negatoria.
  6. de testamento parentum inter liberos. secund: jur. Bremense.
  7. de formula pactorum dotalium antiquorum Brementium.
  8. de annis conventio quibus communio bonorum inter conjuges legitima suscipitur.
21. Walch de privi legio pecuniae haereditariae creditorum in concurre.
22. Walch de pace domestica.
23. Wiefand. observationes juris Romani et Saxonici.
  1. de aetate ad postulandum idonea.
  2. servitus passendi non impedit, quo minus dominus praedii servientis agris suis tanquam bonus paterfamilias uti queat.
  3. de testamento ob pravitatem usurariam irritum.
  4. maritus in Saxonia haereditati uxoris sine iurejurando recte renuntiat.

24. Kraus de praerogatis veterum auctorum in explicando jure Romano.
25. Schorch quare hereditatis petitio solum adversus pro haerede vel pro possessore possidentem institui potest?
26. a. Germeten de revisione actorum effectum suspensivum sanctione imperii de 1654 salva atque in iudiciorum ordinum imperii habente.
27. Mentze de temporibus legitimis ex statutis Lubecensibus collectis eorumque cum dissonantia tum convenientia cum jure civili.
28. Truncck. eminentia S. R. I. principum electorum et S. R. C. Cardinalium inter se collata et ad juris regulas exacta.
29. Meurer de ratione diversitatis quae inter legata jurium in res et jurium in personas intuitu acquisitionis intercedit.
30. Böhrmer ad l. 10. ff. de capite minutis, seu legatum in singulis annis vel mensibus relictum et et legatum habitationis capitis diminutione non penitatur.
31. Cordes. de nudo conventionibus adjecto ejusque effectu juridico
32. Colmar de jure civitatis Norimbergensis
33. Bauer ad Decret. elector. Saxon. de 1746 seu de fidejussione uxoris.
34. Koenig selecta juris matrimonialis capita ex L. Norimbergensibus illustrata.
35. de Schellwitz de exactione pecuniae pro vicis publicis pontibus solvendae. *Münch. und Brückmugel.*
36. Schlegkendal. de definitione et natura dominii et speciebus jurium in re.
37. Schlegkendal de aequitate pretii in contractibus servanda
38. Schlegkendal ad l. 198 ff. de Ver. signif. utrum heredes praediorum urbanorum nomine veniant?
39. Wiese de retentione pignoris tam ob eadem quam ob diversa.

38

DISSERTATIO  
IVRIDICA TERTIA  
AD  
L. CXCVIII. D.  
DE  
VERB. SIGNIF.

QVAM  
ANNVENTE DEO,  
PRAESIDE  
FRIDERICO GOTHOFREDO  
I. A. F. SCHLEGTENDAL  
I. V. D.

PUBLICÈ DEFENDET  
GEORGIUS CHRISTIANVS  
DAENTZER  
TEUTOBURGO CLIVVS.  
AD DIEM M. AVGVSTI MDCCLII.



DVISBVRGI AD RHENVM  
TYPIS IO. SEBASTIANI STRAVBII  
ACADEM. TYPOGRAPHI.

D. CXCIII. D.  
L. B. S.

Animus quidem fuerat, tertiam Dissertationem de  
Iurisdictione Ciuili prioribus adiicere; Sed  
quum hanc materiam non inutilem nec ina-  
moenam cernerem, eam placuit praemittere.  
Vale L. B. meisque conatibus faue.



§. I.



Huic dissertationi praemittendus erit ipse  
textus explicandus, sc. L. CXCVIII.  
D. de V. S. cuius verba sunt sequen-  
tia: Urbana praedia omnia aedificia  
accipimus, non solum ea, quae sunt in  
oppidis, sed & si forte stabula sunt, vel alia merito-  
ria in villis & in vicis, vel si praetoria voluptati tan-  
tum deseruiant: quia urbanum praedium non lo-  
cus facit sed materia. Proinde hortus quoque, si qui  
sint in aedificiis constituti, dicendum est, urbanorum  
appellatione contineri.

Plane si plurimum horti in reditu sunt, vinea-  
arii forte vel etiam olitorii, magis haec non sunt  
urbana.

A

§. II.

§. II.

Ita reperiuntur verba apud Vlpianum *in Lib. II. de omnibus Tribunalibus* eo loco, quem Triboniano cum suis placuit nobis sub Titulo *de verborum significatione*, etsi, ut postea videbimus, loco minus commodo, exhibere, atque his conueniunt illa huius textus verba, quae tam in Synopsi quam ipsis Basilicis sub Titulo de V. S. reperiuntur. Ea quae Iureconsultus initio textus tam de aedificiis, quae in oppidis reperiuntur, quam de stabulis, meritoriis caet. differit; non videntur dubiis esse subiecta. Id tantum plurimi mirabuntur; quod idem his adiungit: *Proinde hortus quoque, si qui sunt in aedificiis constituti, dicendum est urbanorum appellatione contineri.* Haec quisque fere primo adspectu ipsis iuris nostri principiis contraria esse putabit. Quomodo enim horti praediorum urbanorum numero censeferi poterunt: cum §. 1. *Instit. de Seruit. & L. 1. de commun. praedior.* disertis verbis aedificia tantum urbanorum praediorum appellatione dicantur venire; ad quae horti certe referri non possunt. Neque ex eo haec conciliari poterunt, quod alii loco, alii vsu, alii materia praedia discerni putant: cum & primum expresse negetur, & quod ad reliqua sola vtilitas attendatur.

§. III.

Nonnulli itaque, ne his difficultatibus subiecti essent, putauere; Ictum hic de folis hortis pensilibus

bus agere. Qua explicatione etsi modo memoratum  
dubium tollant, attamen in alia non minora incidere  
videntur. Sed de eo postea videbimus. Commodius  
enim putamus priori loco dispicere; quomodo uti  
quidem nobis videtur, optime haec textus nostri ver-  
ba explicari possint. Quem in finem inquirendum,  
de qua materia differens Ulpianus paradoxon hoc af-  
firmauerit. Hoc ut eo minus esset difficile, edito  
*Legum Indice*, effecit Iac. Labittus; cuius opera plu-  
rimi & Clarissimi Interpretes vsi multa detexere.  
Huius igitur opera alii viderunt, Ulpianum in *Lib.*  
*II. de omnib. Tribun.* de seruitutibus non egisse; nec  
eum praediorum diuersas qualitates pluribus tradere  
in animo habuisse: Sed illum id hic tantum eo ani-  
mo fecisse, ut orationem D. Seueri Tertullo & Cle-  
mente Consulibus in Senatu recitatam secundum *L. I.*  
*§. 1. D. de reb. eor. qui sub tutela* de praediis mino-  
rum rusticis vel suburbanis sine decreto non alienan-  
dis explicaret. Patet id prae caeteris ex *L. VI. L.*  
*VIII. D. de reb. eor. qui sub tutel.* Quaesivit ita-  
que sine dubio in nostro textu, quae respectu huius  
orationis sint praedia rustica, & quae e contrario vr-  
bana. Respicitur autem in tota hac oratione ad utilita-  
tem pupillorum & minorum; iisque tam contra neg-  
ligentiam quam fraudes tutorum & curatorum ibi  
prospicitur; vbi maximum illis damnum timen-  
dum erat.

§. IV.

Nihil proinde magis naturae huius capitae conue-  
niet,

A 2

niet, quam vt id ex hac regula explicemus. Quum itaque Plinius Iunior *L. II. ep. 17.* ea praedia laudet, quae vsibus sunt capacia, tutelamque sumtuosam non habent; quia ex agro etsi quaestuoso, si idem sumtuosus sit, non multum superesse potest auctore Plinio Seniore *Hist. Nat. Lib. VIII. cap. 5.* examinandum erit, an sint adeo sumtuosa praedia in hoc textu recensita. Primum igitur Vlpianus noster in vrbano- rum praediorum numero recenset omnia aedificia in oppidis. Quod ad haec attinet, minime mirum est; Seuerum in permittendo, vt haec vendantur, fuisse faciliorem. Nihil enim ferè erant Romanorum aedes, nisi totidem exempla luxuriae. Etsi enim antiquissi- mis temporibus eorum aedificia teste Horatio *Carmin. Lib. II. Oda 15.* nulla re minus quam luxuria labo- rauerint; immo secundum Ouid. *de Art. Lib. III. v. 117. 118.* Curia - - -

*De stipula, Tatio regna tenente, fuerit:*

Attamen eosdem gentium victores minime vna earum luxum vicisse, etiam aedes certissimo quasi testimo- nio affirmant; quippe quae *Regiae moles pauca iuge- ra aratro relinquere* dicuntur Horatio *d. Oda 15.* Tanti enim hanc in rem erant eorum sumtus: vt sex millibus ne senator quidem honeste habitaret se- cundum Vellei. Paterc. *Hist. Rom. Lib. II. cap. 10.* immo vt iam Ciceronis tempore Caelio homini iuue- ni vitio datum fuerit, quod triginta millibus habita- uerit; quamuis re vera tantum decem millibus *aedi- culas*, vti videtur, conduxerit, idque, vt Cicero *Orat. pro eo Cap. VII.* ait, *non magno.* Immo ipse Cicero

Cicero domum emerat a Crasso tricies quinquies,  
quod constat ex eius *Epist. ad Fam. Lib. V. epist. 6.*  
Non enim ibi videtur scriptum fuisse XXXV. Quia  
hoc pretium mercedi domus conductae paulo ante  
narratae comparatum, nimis foret exiguum.

§. V.

Si quis haec non putet sufficere; consideret ea,  
quae de veterum aedificandi ratione Auctores quidam  
tradidere. Ex quibus nonnulla delibare forsitan non  
iniucundum fuerit. Notandum itaque Romanorum  
aedes plurimas praeter necessitatem amplas fuisse;  
qua de re earum magnificentiam reprehendens Cice-  
ro prae caeteris queritur *de offic. Lib. I. Cap. 39.*  
Praeterea postquam *Metellus Macedonicus vel magni-  
ficentiae vel luxuriae princeps aedem ex marmore pri-  
mus molitus fuisset* teste Vellei. *Paterc. Histor. Rom.  
Lib. I. cap. 11.* ex eo tempore etiam huius usus ad-  
eo inualuit, ut Iuuenalis *Satyr. XI V. v. 86. seq.*  
ita canat:

*Aedificator erat Centronius & modo curuo.*

*Littore Caietae, summa nunc Tyburis arce.*

*Nunc Praenestinis in montibus alta parabat.*

*Culmina villarum Graecis longeque petitis.*

*Marmoribus.*

De Ebore testantem Lege L. Senecae *Thyestem Act.  
III. sc. 1. v. 54.* qui praeter hoc mentionem facit  
*styluae in culminibus aedrum nutantis.* Haec partim  
repetens partim alia adiiciens confirmat Iuuenalis in  
*fm. d. Sat. XIV.* hisce versibus:

A 3

Atto-

Attonitus pro Electro signisque suis Phrygiaque  
columna  
Atque ebore & lata testudine.

Quae ipsa de aedibus loqui magis adhuc apparet ex  
statim subsequens:

- - Dolia nudi non ardent Cynici, si freris al-  
tera fiet.

Cras domus.

De picturis & incrustationibus pariter ultra modum  
pretiosis L. XIII. §. 1. D. de S. P. V. vide-  
ri potest.

#### §. VI.

Atque haec de luxu veterum in aedibus suffi-  
ciet tradidisse; ex quibus quisque facillimo negotio  
caetera coniciet. Pergit iam Vlpianus noster ad sta-  
bula vel alia meritoria in villis & in vicis & ad prae-  
toria voluptati tantum deseruientia; atque etiam haec  
inter praedia urbana numerat. Quod etiam si senten-  
tia illa a nostro subiecta, (*quod urbanum praedium  
non locus faciat sed materia,*) non confirmaretur: ta-  
men vel ex ipsa propositae quaestionis natura cuius  
patefieri posset. Non enim minor etiam in rusticis  
his aedificiis fuit Romanorum luxuria: vti praeter  
proxime allegata Iuuenalis loca satis ostendit Cicero  
laud. Tractatu de offic. Lib. I. cap. 39. vbi eos re-  
prehendit, quod nimis multi *Luculli villarum magni-  
ficentiam* sequantur, quam praecipue in splendidis ae-  
dibus

dibus & aedificiis constitisse ex dictis Iuuenalis locis admodum fit verosimile.

§. VII.

Quam parum omnia haec nimium splendida tuenda rei familiari conuenerint; nos idem Iuuenalis satis docet; saepius cit. *Satyr. v. 92. seq.* ita canens:

*Dum ergo sic habitat Centronius, imminuit rem.*

*Fregit opes, nec parua tamen mensura relictæ.*

*Partis erat, totam hanc turbauit filius amens.*

*Dum meliore nouas attollit marmore villas.*

Ex quibus omnibus satis superque patet; reditus ex hisce praediis venientes nec vero eorum pretio nec sumtibus in ea requisitis ullo modo respondisse. Prudentissime igitur ac summa ratione horum venditionem non ita prohibuit Seuerus: utpote ex quibus pupilli nullam fere, nisi venderentur, perciperent vtilitatem.

§. VIII.

Peruenimus iam ad arduam illam quaestionem, sc. vt Vlpianus loquitur, *de hortis in aedificiis constitutis*. Hi certe diceret aliquis non sunt urbana praedia: praesertim si antecedentem atque huic per particulam *proinde* connexam sententiam contulerit. Et nihilominus Iureconsultus existimat, *dicendum esse & hos urbanorum appellatione contineri*. Vt hanc difficultatem superemus, primo videtur notandum; quod particula *proinde* non semper sententiam antecedentem cum

cum consequente connectat. Aliquando enim pro-  
*perinde* vsurpatur exemplo *L. VI. D. de collat. bo-  
 nor.* vt sic hortus hi tantum aedificiis vrbanis atque  
 recensitis rusticis in eo quidem, vti videtur, praeci-  
 pue comparentur, quod voluptati tantum seruiant.  
 Sin hoc minus placeat: vacula haec etiam sensu vul-  
 gari referri poterit, non quidem ad antecedentem  
 sententiam, sed ad verba ea potius, quae hanc prae-  
 cedunt. Regula enim haec poterit vice responsionis  
 ad obiectionem aliquam fungi; quae dein quasi omit-  
 titur, & ad eam non amplius attenditur. Perinde  
 ac si Vlpianus vellet dicere: Stabula vel alia merito-  
 toria in villis & in vicis, item praetoria in vrbanorum  
 praediorum numero esse, quia voluptati tantum ser-  
 uiunt. Nec obstare quod vrbania praedia ruri esse  
 absurdum videatur; huic enim responderi posse,  
 quod vrbanum praedium non locus faciat sed mate-  
 ria. *Proinde*, si sc. hoc spectes, an voluptati seruiant,  
 & non attendas ad responsionem praecedentem, *hor-  
 tus* quoque in aedificiis constituti inter vrbania prae-  
 dia numerabuntur. Si nec hoc tibi satis faciat, pote-  
 ris dicere vocabulum *materiae* etsi alias in hac iuris  
 regula ad interiorum praedii conditionem referatur,  
 hoc loco tamen non eam sed quaestionem de qua agi-  
 mus denotare. Quasi ICRUS dicat: Quia vrbanum  
 praedium non locus facit sed propositae quaestionis  
 natura; etiam horti in aedificiis constituti ad illa re-  
 ferri debebunt.

§. IX.

Et haec quidem quod ad vacula *proinde*. Ipsius  
 fen-

sententiae Vlpianae ratio sine dubio in eo quaerenda est, quod utile sit pupillis hortos hos perinde ac omnia praedia urbana vendi. Hoc ut appareat, investigandum, quales horti hoc loco intelligantur. Describit eos Vlpianus, quod sint *in aedificiis constituti*; per quos sine dubio ii indicantur, qui sunt prope aedificia & inter eadem. Ita enim saepissime in pro *inter* apud autores idoneos positum reperitur. Existisse autem tales prope veterum Romanorum aedes tam *L. ult. pr. D. de S. P. V.* quam *C. Nepos in vita Attici Cap. XIII. §. 2.* ipsi tribuens aedes *non aedificio sed silua amoenas*, testantur. Non enim in aedibus ipsis hanc sitam fuisse, ex ipso tecto antiquitus constituto ac *plus salis quam sumtus habente* fit verosimile.

Talium autem reditus ut plurimum minimi erant. Constabant enim ex herbis & arboribus pretiosis quidem sed voluptati soli non vsui seruentibus; de quibus videatur, quod in Horatii *Carmin. Lib. I. Od. 15.* reperitur his versibus:

- - - *Platanusque coelebs.*

*Euincet vlnos tum violaria.*

*Myrtusque & omnis copia narium.*

*Spargens oliuetis odorem.*

*Fertilibus domino priori.*

*Tum spissa ramis laurea feruidos.*

*Excludet ietus.*

B

Quia

Quia vero non omnes horti ad solam voluptatem instructi erant: hinc illos solos ad urbana praedia refert Ictus. De his vero *qui in reditu sunt, vinearii forte vel etiam olitorii*, idem in fine textus nostri affirmat, *magis non esse urbana*. Ab aedificiis vero praesertim urbanis nulla excipiuntur, ideo sine dubio, quia in his paucissima, ad quae hic attendi non poterat, erant, quorum reditus cum sumtibus comparari possent: quibus accedit, quod haec incendiis aliisque casibus subiecta facilius pereant.

Omnia iam recensita praedia itaque maioris fere erant pretii quam reditus. Vnde tantum abest, ut venditio eorum pupillis damno sit, ut potius commoda se offerente occasione saepissime suadenda videatur.

§. X.

Atque haec omnia longe aliter in praediis rusticis etiam vilissimis sese habent, quorum reditus pretio semper conveniunt; testante inter alias *L. XIII. D. de reb. eor. qui sub tut.* Vnde horum coemtionem homini avaro ac nummos sine modo amanti tribuit Iuuenalis saepius citata *Satyr. XIV.* ita canens;

*Crescit amor nummi - - -  
- - - Ergo paratur.*

*Altera*

*Altera villa tibi, cum rus sufficit unum.*

*Et proferre libet fines, maiorque videtur.*

*Et melior vicina seges, mercaris & hanc &*

*Arbusta, & densa montem, qui canet oliua.*

Cum igitur ex his, ut nobis videtur, satis appareat; cur hortos urbanorum praediorum numero habuerit Ulpianus; quippe qui in hac materia magis urbanis quam rusticis praediis sint similes, iam in explicando hoc textu subsistemus.

§. XI.


Restat adhuc, ut videamus, an non verosimilius sit, per hortos in aedificiis constitutos intelligi hortos, pensiles quos vocant, qui tectis aedium imponebantur. Nec enim tales apud Romanos defuisse, praeter caeteros testatur Seneca in *Thyeste*, dum *Act. III. sc. I. Sylvarum in culminibus aedium nutantium* mentionem facit, cui e iure nostro addi potest *L. XII. D. de S. P. V. & L. XVII. §. I. D. si seru. vind.* quae tamen etiam de hortis inter aedificia positis intelligi potest. Ne tamen huic sententiae assentiamur, non pauca impediunt. Etsi enim in pro *supra* saepissime positum inueniatur; tamen alia non minora iis obsta-

re videntur. Hi enim horti essent pars aedium, quibus sunt impositi, nec ab iisdem separari possunt; an autem talis pars nomine praedii vrbanum vel rustici venire possit, vti hic quidem Vlpiano venit, maxime dubitarem. Dein non video, quomodo talis pars aedium commode sine iis, vti hic quidem supponitur, venire possit; nec si sic accipiamus, percipio; quomodo quaeri possit, qualia praedia sint hae aedificiorum partes, & quasi accessoria, quae sine dubio cum principali suo eodem iure vtuntur. Tandem difficile est intellectu, quomodo hi horti in reditu esse possint, quo casu tamen haec praedia ex vrbanorum numero eximuntur, quod in hortis pensilibus omnino fieri non posse videtur. Haec quae iam de hortis pensilibus diximus, vera sunt in omnibus, quos reuera in aedificiis reperire quis posset: vt adeo textum nostrum de hortis prope aedificia intelligi, omnino sit necesse.


T A N T V M.











vero non omnes horti ad solam voluptatem  
erant: hinc illos solos ad urbana prae-  
ICTus. De his vero qui in reditu sunt,  
te vel etiam olitorii, idem in fine textus  
nat, magis non esse urbana. Ab aedifi-  
desertim urbanis nulla excipiuntur, ideo  
fina in his paucissima, ad quae hic at-  
tenerat, erant, quorum reditus cum  
sumari possent: quibus accedit, quod  
haec aliisque casibus subiecta facilius  
pereant.

Onsita praedia itaque maioris fe-  
re erant reditus. Vnde tantum ab-  
est, ut ve pupillis damno sit, ut po-  
tius commo te occasione saepissime sua-  
denda videat.

Atque haec aliter in praediis ru-  
sticis etiam vilissimis, quorum reditus  
pretio semper contante inter alias L.  
XIII. D. de reb. tut. Vnde ho-  
rum coemtionem honum nummos sine  
modo amanti tribuit Ius citata Satyr.  
XIV. ita canens;

*Crescit anior nannini  
- - - Ergo paratur.*

*Altera*

